

§. 13.

Attingenda jam sunt ea, quae in templo MORTIS peragebantur. Primum quidem factae sunt in eo a gentilibus PRECES pro defunctis et PLACATIONES Manium. Si quid est, quod in MORTE paganorum nostra meretur considerationem, certe est deprecatio gentilis pro iis, qui vitae pensum absoluerant. Non solum Aegyptii preces fuderunt pro mortuis suis, ceu apparet e fragmento *Liturgiae Aegyptiorum*, quam nobis conseruauit PORPHYRIUS, verum reliquae etiam plurimae gentes ethnicae, et Lacaedemones quoque. Licet philosophi diuersas de natura animae amplexi essent opiniones, et aliqui inter eos iudicauerint, eam cum corpore interire; prudentior tamen pars constantissime docuit, quod anima sit immortalis. Phrasae quidem aliquorum hac de re, praeter formulas asseclarum Pythagorae, Socratis et Platonis videntur differre primo intuitu, a confessione poetarum et populi, reuera tamen sensum eodem paene redire cognosces. Disperscebant mortuos in tres classes, *Sanctos*, *imperfectos*, et *impios*. Collocabant, PLOTINO teste, hos, vt communis ferebat sententia, tribus diuersis locis. Ii animi, qui integritatem suam recuperauerant, credebantur recta inuolare caelum, nec indigere precibus. Quum autem difficile esset purissimos animos semper a ceteris distinguere: contigit, vt ad *tertiam* classem plurimi pertinere autumarentur. Infirmittates, quas in officiorum suorum executione quisque sensit, hanc persuasionem inuitarunt. Hae impurae animae, non tam leues, vt ad caelum se potuissent eleuare, habitare credebantur in vallibus Hecate. Pro his institutae preces sunt, et quidem deprecabantur viui, ne defuncti sibi nocerent in iudicio futuro. Illi *tertia*e mortuorum classi etiam sigillatim oblationes et sacrificia, in templo MORTIS facta, reueruabantur. Sacrificium eiusmodi apud Graecos